



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Avtvmnalis - A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad
Adventum

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Plura dat Christo qui dat omnia licet pauca & vilia, quàm qui multa &
pretiosa, non datis omnibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44846

tantum reddet tibi. Huic affinis est illa quæ post in hac quarta parte declaratur:

Nunquam magis eris tuus, quam cum minus eris tuus, ut s[an]ctus Christi.

Hebr[æ]a 4. Hebdomada 24.

SECUNDA VERITAS.

Plura dat Christo qui dat omnia licet pauca & vilia quam qui multa & pretiosa, non datis omnibus.

RATIO EST, Quia plura dat Christo qui se totum illi donat, quam qui sua tantum. Non enim nostra sed nos querit. Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est, relinquere semetipsum, ait sanctus Gregorius.

Sed qui dat omnia licet pauca & vilia, dat se ipsum Christo cum si alioquin se reservaret, non daret omnia, ut alibi declaratum est ex sancto Bernardo. Qui autem multa & pretiosa dederit non datis omnibus, non potest ita dici seipsum dare, nam ille ipse est quem reservat in sibi reservatis; unde Apostolus de illis Macedonibus qui supra virtutem voluntarij fuerunt, id est, qui sibi nihil reliquerunt, & postquam dederunt omnia, voluissent etiam plura dare, affirmat sic semetipsum dedisse Domino, quod de alijs qui minus liberales fuerunt, non diceret. Quamobrem manifesta est Conclusio, certa que Veritas, quod plura dat Christo qui dat omnia licet pauca & vilia, quam qui multa & pretiosa non datis omnibus; unde & quod Idem Apostolus, ibidem ait, ex alio Scripturæ loco liceat usurpare: Qui multum non abundavit, & qui modicum non minoravit. Id est, qui multum dedit & non totum dedit, non ita dando abundavit, sicut qui totum dedit, licet modicum dederit, nec enim in illo suo modico minoravit qui dedit omnia, seu quod idem est, nec enim minus dedit qui modicum dedit quam si plus dedisset, cum sua omnia dando, seipsum dederit, quo nihil Christus habet charius & pretiosius.

O quantus inde stimulus ad omnia relinquenda! Nihil habes pauper quod queraris de paupertate tua; Da quidquid habes, quantumcumque parvum & vile, tunc satis Deo dederis. Quid vero dives tibi aliquid servas, cum quidquid dederis, nisi des totum, minus dare convinceris quam pauper relinquens omnia. Sic præclare

sanctus Hieronymus: Apostoli quantum ad divitias, nihil quantum ad voluntatem, totum mundum pariter reliquerunt, Si offeramus opes cum anima nostra, libenter accipiet. Sed si perfecta desit oblatio animæ, quid sequitur nisi quod quidquid dederis non ita libens accipiet?

TERTIA VERITAS.

Væ Religioso non relinquenti omnia.

RATIO EST, Quia v[er]æ homini illi de quo dicitur: Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum. Ipse est Dominus qui loquitur; & quantus ille Rex est ac Dominus, tantum loquelæ suæ poteris adhibere, quasi declararetur cur ille vir dolosus qui debile sacrificaret, esset maledictus, quia sic videlicet nefas est tantæ Majestati offerre quod minus est, cum habeat aliquid majus quod offerat.

Sed Religiosus non relinquens omnia, cum religionem profiteretur nuncupatis Deo votis, dolosus ille est qui habet in grege suo masculum & votum faciens immolat debile Domino. Nam masculum comparatum debili nihil aliud est, quam aliquid melius & pretiosius quod sacrificari posset. Hoc autem habet religiosus omnis cum habeat voluntatem & intellectum, cupiditatem & alios quo suis affectus, quos si omnes ac seipsum totum relinqueret, certe quod est melius ac pretiosius Deo immolaret. Cum vero non sic seipsum relinquit, quidquid donet non nisi debile immolat, quia longe minus est quod dat, quam quod servat, cum ut dictum est, in his quæ servat, seipsum servat, quod longe majus ac melius est cæteris omnibus datis, quam sit masculum aut pingue animal debili comparatum. Deinde dolosus est qui sic Deum defraudat sua gloria, seque ipsum suo merito; Dolosus est quia dolo malo rem sacram peragit Dolosus est quia Superiorem decipit qui putat se admittere hominem omnia relinquentem. Dolosus est, quia fingit se Religiosum esse velle quod non vult, non relinquens omnia; Dolosus est quia quod servat obtegit, & si posset ipsum celaret Deum. Optenè omni dolo & omni fallacia!

Væ igitur Religioso non relinquenti omnia, nam ille est maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat